

LXX. Interpretes & Josephus inclinare videntur. Clericus ad-  
versum sequentem 47. Ceterum apprehendit Saul regnum  
super Israëlem, ita commentatur: *Post victoriam hanc de Philis-  
tæis prorsus Regio more se gessit, & Reip. totius administrationem serio  
capessivit, cum antea auctoritatem propemodum precariam obtinere vi-  
deretur & timide omnia faceret. Quod si ante hoc tempus non-  
dum veram potestatem regiam in populum sed precarium  
tantum Regnum habuit, quale olim Germanorum veterum  
fuit; nihil videtur populus commisisse officio suo adversum;  
sed cedo invictum ejus rei argumentum! Lucas Osiander  
hanc subjicit versui nostro meditationem: Talia heroica facta,  
quale fuit hoc populi non incogitanter aut temere sunt imitanda: sed  
precibus tentandus magistratus, ut sententias duras mitiget.*

VII.

De re illicita sine dubio juravit Rex Joramus, quando  
2. Reg. VI. 31. audito incolas Samariæ à Rege Syriæ obsessos  
rabida fame ad proprios liberos mactandos atque comeden-  
dos impelli, has adversus pium atque innocentem prophe-  
tam minas sparsit: *Sic faciat mihi Deus & sic addat, si ste-  
terit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie. Quæ verba se-  
quenti paraphrasi atque commentatione illustrat Lucas  
Osiander: Deus me male perdat, nisi hodierno die Prophetam decolla-  
ri curavero: Oder Gott schend mich / der Kopff muß ihm noch  
heut herab / und wann er stählin wäre. Procul dubio autem ideo  
in Prophetam tanti mali causam conjecit: cum quia in concionibus  
suis comminatus erat famem & alias calamitates, nisi resipiscerent:  
eas quia prædixerat, attraxisse putabatur: tam quia ante aliquot  
annos consulnerat, ut Syri incolumes dimitterentur: in quibus puta-  
bat Rex si hostile exemplum severitatis statuisset, non facile eos fuis-  
se in terram Israëli reversuros. also gehts (hat gewißlich) der Kö-  
nig gesagt) wann wir den Pfaffen folgen. Impium fuit hoc ju-  
ramentum de cæde innocentis perpetranda; sed scelus alio  
scelere auxisset Rex, si, quod male juravit, etiam fuisset execu-  
tus. Mutavit autem scelestum hoc consilium, vel agnita*